

Lepidissima est Horatii **Satira** et festivae urbanitatis salibus mire condita, quae sermonum libri primi ultimo loco perscripta legitur. Quae quum alia multa contineat lectu nec iniucunda nec inutilia, tum in primis etiam universi argumenti, in quo tractando versatur, gravitate commendatur non mediocriter, quandoquidem inter alia Iuclentius inde cognoscitur, quantae lites et controversiae inter Romanos, quo tempore apud eos bonarum litterarum elegantia, paullatim ex Graecorum scriptorum studiis suscepta, cum pristinae aetatis impolita barbarie et inertia conflictari coepit, de antiquioribus poetis ad novitiae venustatis legem atque normam vel exigendis vel iudicandis agitatae fuerint. Agit enim Horatius in ea unum maxime hoc, ut, quod **Satira** quarta eiusdem libri de Lucilio, nobilissimo superioris aetatis poeta satirico, quem plurimi etiam tum in deliciis habebant, palam fecerat iudicium, id ab inquis calumniis adversorum, iudicandi istam libertatem, qua usus erat, moleste fermentum, urbane defendat additis etiam subtilioribus quibusdam de satiricae scriptio[n]is arte et ratione admonitionibus, eaque occasione aperte declarat, quantopere ineptos istos sermonum suorum iudices contemnat ac despiciat, amicos autem verae artis germanaeque elegantiae perspicaces suspiciat atque diligit. Quae quidem omnia tanta sermonis facilitate et perspicuitate miro cum lepore coniuncta explicantur, ut, si a paucis quibusdam versibus discesserimus, nihil propemodum reperiatur, quod quem aut in legendu morari aut voluptatis ex continua poematis lectione redundantis fructu defraudare queat. At enim vero quum haec laus facilitatis atque perspicuitatis

universae Satirae verissime impertiatur, tum eadem habet item aliquid sibi proprium et peculiare, quod dici non potest quantum difficultatis criticis atque interpretibus inde ab antiquissimis temporibus ad hunc usque diem semper obiecerit. Praefiguntur enim ei vulgo octo hi versiculi, non quidem illi in omnibus, at certe in permultis codicibus manuscriptis iisque partim antiquissimis et iam saeculo decimo exaratis reperti atque cum reliquis in unum coniuncti:

*audita Lucili, quam sis madosus, teste Catone,
defensore tuo, pvincam, qui male factos
emendare parat versus, hoc lenius ille,
est quo vir melior, longe praestantior illo,
qui multum puer est loris et funibus udis
exhortatus, ut esset opem qui ferre poetis
antiquis posset contra fastidia nostra,
grammaticorum equitum doctissimus. Ut
redeam illuc.*

De quorum versuum origine et auctoritate si dicimus in tam diversas partes disputatum esse, ut singularis quaedam multitudo sententiarum inter se discrepantium inde emerserit, qualis in simili caussa vix usquam reperiatur, non veremur, ne qua a nobis dissentiant, qui vel nomina eorum, qui snum de his rebus iudicium expromserunt, breviter cognoverint. Sed licet rei difficillimae quaestio a plurimis subinde etiam copiosius sit tractata, tamen ea non iam absoluta et ad exitum usque perducta videtur. Neque enim de versuum illorum natalibus atque caassis nunc ita constat, ut quid ea de re existandum sit, certius exploratum habeatur, nec vero etiam ipsorum argumentum usquequa desiderata luce perfusum est, quod, si verum fateri volumus, certe non una ex parte magna adhuc obscuritate premitur. Itaque operae pretium facturi videmur, si data hac scribendi occasione rem multum disceptatam denuo sub examen vocemus, si forte quaestionem ab aliis institutam ulterius profligare et ad maiorem probabilitatis perspicuitatem provehere possimus. Neque

enim veremur ne quis paullo prudentior et cordatior nobis ita facientibus putidum et ineptum minutiarum studium opprobrio vertat, quamquam bene scimus ne hodie quidem deesse homines Hippiae apud Platonem similes, qui dum sese gloriantur maiora scilicet usque meditari et in contemplandis universis versari, subtilest istiusmodi quaestiones alto supercilio contemnunt atque pusillum angustumque animum arguere arbitrentur. Nam quum in litterarum studiis omnino nihil parvi ducendum sit, unde aliquid fructus et utilitatis ad earum scientiam et cognitionem redundatur esse sperare liceat, tum ne huius quidem rei accuratior pervestigatio omni carebit utilitate, siquidem per eam futurum sit, ut non modo versiculis illis, verum etiam priscae litterarum Romanarum memoriae nonnihil novae lucis affundatur. Versabimur autem in tractanda delecta disputandi materia ea ratione, ut primum paucis recognoscamus varia eorum iudicia, qui de versibus illis suam prodiderunt sententiam; quo facto quid nobis de iis videatur, ita exponere instituimus, ut et tempora, quibus nati sint, accuratius definire et eorum sententiam certius declarare conemur. Quibus omnibus explicatis denique sponte intellectum iri speramus, quid de eorum fide et auctoritate existimari oporteat.

Itaque primum quidem ubi quaeritur, quid viri docti vel olim vel nostra aetate de initio illo Satirae Horatianae iudicaverint, quum omnino duo illorum genera possint constitui, alterum eorum, qui versus, quos posuimus, ut suppositios vel adulterinos ab Horatio abiudicandos censuerunt, alterum illorum, qui eosdem voluerunt pro Horatianis probari, tum inter hos utrosque rursus semper mira quaedam obtinuit indiciorum discrepancia. Nam ut primum de iis dicamus, qui eos Horatio prorsus indignos esse censuerunt, varaverunt illi sententiam suam tam mirabiliter, ut ipsi inter se plurimum dissentire existimandi sint. Nam primum quidem exorti sunt, qui eos recentiore demum tempore a tenebrione aliquo conflictos atque antiquitate plane indignos esse arbitrarentur. Cuius sententiae auctor

exitit **Dionysius Lambinus**, elegantiae et venustatis Horatianae iudex subtilissimus. Is enim eos non modo nihil Horatiani contineare censuit, sed ne antiquitatis quidem colorem referre arbitratus est, ut eos quadringentorum ferme annorum aetatem habere existimaverit. Quae tamen ipsius sententia, ut id statim hoc loco admoneamus, vel eo refellitur, quod in antiquioribus codicibus manuscriptis reperti sunt, qui aetatem a viro docto iis assignatam longissime superant. Atque idem Lambinus etiam **Jo. Auratum**, **M. Antonium Muretum**, **Simeonem Bosium** et **Jo. Passeratum** illos ut suppositios et adulterinos damnasse narrat, quamquam hi quid de eorum aetate senserint, non memoriae prodidit. Nec vero multo clementius Lambino statuerunt **Robertus Stephanus** et **Jac. Cruquius**, viri longe doctissimi et de Horatio praecclare meriti. Quorum alter in Diatribe I. ad Horat. p. 40. stolidi iis codicibus in evulgandis illis versibus fidem habitam esse scribit, qui eos servaverint; alter in Commentar. p. 400. eosdem censet simio cuidam Horatiano acceptos referri, quandoquidem, sicut ipse ait, et dictio parum conveniat et argumentum Satirae non in Lucilium, sed in eius fautores dirigatur. Quibus adstipulatus esse videtur etiam magnus **Ricardus Bentleius**, qui in editione Horatii, quam fecit, versuum istorum ne verbo quidem mentionem iniecit, scilicet more suo damnans silentio quae ipsi essent plane improbata. Iam vero horum criticorum auctoritatem longo deinceps agmine secuti sunt plurimi, qui versus vel prorsus abiecerunt vel simpliciter Horatianos esse negarunt, usque dum noster ille **Jo. Matthias Gesnerus** extitit, qui circumspecto iudicio mitiorem de iis ferret sententiam. Is enim dignos saltem eos iudicavit esse, qui locum suum in Horatianis obtinerent, praesertim quum, si non essent Horatii, antiqui tamen et ingeniosi hominis viderentur. Quod quidem viri egregii iudicium hanc vim habuit, ut minus iam cupide sed cautius aliquanto de loco suspecto statueretur. Quocirca dehinc in Germania quidem non pauci exorti sunt, qui rem subtilius exami-

narent adeoque Horatio vindicare conarentur, quae ipsi iniuria
erupta viderentur. Quod ipsum etiam iis, qui sentirent aliter, ex-
optatam attulit opportunitatem, ut suam ipsorum rationem expone-
rent plenius ac dilucidius. Ex quorum quidem numero ante omnes
memorandus est Henr. Car. Abr. Eichstadius, qui in Comment.
D e Horat. Sat. I. X. exordio, Ienae 1822. 4., et in Suppl.
Dissertat. De Horat. Sat. I. X. exordio, Ibid. 1824. 4. edit. de
eo elegantissime in hanc disputavit sententiam, ut singula quidem
verba et scribendi genus ab optimae aetatis latinitate et ingenio
nihil discrepare ultro concederet, sententiarum autem vim parum
aptam neque cum argumento Satirae Horatianae ullo modo conve-
nientem esse graviter contenderet et asseveraret; in quo tamen quid
de aetate versuum Horatio abiudicatorum sentiret minime indicavit.
Iam vero Eichstadio tamquam succenturiatus exstitit etiam Friede-
ricus Jacobs, qui in Lectionibus Venusinis, postea insertis operi
sic inscripto: **Vermischte Schriften. Vol. V. Leben und**
Kunst der Alten. Vol. IV. 1834. 8. p. 224—263. rem denuo
tractavit uberior. Quippe hic quoque vir iudicii elegantissimi co-
lorem pariter atque argumentum versuum controversorum cum Sa-
tira Horatiana mirum quantum discordare censuit; praeterea vero
obscuritatem eorum tantam esse indicavit, quae ipsorum intellectum
misere impediret ac totum paene de medio auferret. In quo eo
usque progressus est, ut prope videatur cum Lambino fecisse
atque versicularum origines ad aetatem retulisse posteriorem, sicuti
ex iis coniicere licet, quae l. l. p. 262. acriore sane stilo usus
pronunciavit. Nihilominus autem mitius rursus de suspectis ver-
sibus iudicaverunt, qui nuperrime demum de iis sententiam tule-
runt, Io. Casp. Orellius, Henr. Dünzerus, C. Kirchnerus,
Franciscus Ritterus. Qui quidem omnes quum in eo
consentiant, ut illos Horatii ingenio indignos et a decimae Satirae
Horatianae argumento et consilio alienos esse largiantur, tum eosdem
colorum habere vere antiquum communi consensione arbitrati sunt.

Itaque Orellius eos Frontonis circiter tempore, quo controversia, utrum praferendi essent scriptores Augusti aetatem antegressi an qui sub Augusto scripsissent, inter antiquarios et recentiorum scriptorum admiratores maxime agitata est, ab homine aliquo otioso compositos esse suspicatur, animi caussa tentaturo, quomodo exordium qualemque aptari posset abruptiori, quod videretur, Satirae initio: Nempe incomposito etc. Cui sententiae etiam Wüstemannus in ed. Heindorf. sec. p. 253. et Düntzerus: Kritik u. Erklärung der Sat. d. Horaz p. 249. suffragati sunt, quamquam hic quidem etiam de aetate Taciti, siquidem is auctor sit dialogi de corrupta eloquentia, vel de quarto post Chr. n. saeculo cogitari posse censem. Kirchnerus autem eos multo etiam antiquiores esse voluit, quippe qui primus eorum ortum ad aetatem Valerii Catonis retulerit et circa a. 700. a. u. c. ab aequali illius M. Furio Bibaculo litteris consignatos esse indicaverit. In quo eatenus certe Fr. Ritterum nactus est ad stipulatorem, quod hic quoque ortum illorum antiquiorem fuisse suspicatus est adeoque eorum auctorem Orbilium Pupillum, Beneventanum, fuisse coniecit, de quo infra dicendi erit occasio. In qua quidem virorum praestantissimorum sententia quid quantumque veri insit, mox disputabitur.

Atque haec quidem de iis, qui versus, de quibus disputatio est, ut suppositios et adulterinos ab Horatio abiadicaverunt. Progressimur ad alteros, qui contrariam defendenterunt sententiam atque eosdem pro Horatianis probari voluerunt. Qui quidem rursus non uno eodemque modo in hac re disceptanda versati sunt. Alii enim in versibus illis omnino quidem agnoscere sibi visi sunt artem rationemque plane Horatianam; sed num et quatenus ipsi poetae debeantur, non ausi sunt certius decernere et pronuntiare, ut Aldus, Canterus, Georg. Fabricius, Car. Fea, alii non pauci maxime superiorum saeculorum critici. De quibus ut iam non explicandum sit copiosius, ipsa facit iudicii, quod prodiderunt, vel brevitas vel ambiguitas. Alii autem non dubitaverunt eosdem ad ipsum Horatium

auctorem referre idque etiam argumentis in medium allatis certius confirmare, ex quibus satis erit nominasse Iacobum Frider. Heusingerum in dissert. Guelpherbyt. a. 1759. edita, Fr. Guil. Döringium, nobilissimum Horatii commentatorem, Lud. Heindorfium, sollertissimum Satirarum Horatianarum enarratorem, Car. Morgensternium et Io. Valentin. Frankium, viros doctissimos, in Symbol. critt. in quaedam loca Platonis et Horatii Part. II. Dorpat. 1821. Car. Frankium in Fast. Horat. p. 107. L. A. C. van Heusdium Stud. de Lucilio p. 46. sqq. et 136. sqq. Io. Henr. Vossium Anmerkungen und Randglossen zu Griechen u. Römern p. 252. Aug. Weichertum Poetar. Latin. Reliqq. p. 357. sqq. Frid. Bothium Ann. ad Horat. ed. Feae. Heidelberg. T. II. p. 33. G. E. Weberum in Corp. Poetar. Lat. p. 233. Car. Reisigium in edit. Sat. Heindorf. altera p. 252. Io. Bekkerum Philolog. Schneidewin. Vol. IV. Fasc. III. a. 1849. p. 490. sqq. Io. Apitzium Disput. De aetate poematum Horat. Berol. 1853. p. 26. sqq. et Coniectan. in Horatii Satiras. Berol. 1856. p. 86. sqq. Qui tamen rursus in partes maxime diversas discesserunt omninoque pro sua quaque ratione triplicem defenderunt sententiam. Nam primum quidem fuerunt, qui prooemium istud Satirae non modo genuinum sed etiam recte in principio positum esse contenderent, ita ut cum sermone reliquo unum tamquam corpus efficeret. Quam sententiam praeter ceteros defendit Fr. Guil. Döringius, permotus maxime eo, quod versibus his omissis prima Satirae Horatianae vox Nempe non habeat quorsum referatur. Cui nuper demum assensit etiam Apitzius l. c., qui praeruptum istud Satirae Horatianae initium ne eo quidem satis excusationis habere putat, quod haec Satira referatur ad quartam, quippe quae et pluribus annis ante satiram decimam publicata fuerit et in diverso arguento tractando versetur. Quamquam hic octavum versum prorsus vult eliminari, quo electo existimat omnia optime inter se cohaerere atque sermonem bene procedere. Et cognata cum hac ratione quodammodo est etiam

sententia Heusingeri, qui prooemium ab Horatio in principio Satirae appositum esse coniecit, quo tempore poeta, absoluta iam Satirae decimae scriptione, fama et auditione accepisset, Catonem criticum et grammaticum in Lucilio retractando et perpoliendo occupatum esse, quo scilicet sententiam suam tum iam palam factam vel ex emendandi Lucilii necessitate defenderet ac tutaretur. Iam vero altera sententia fuit illorum, qui, licet et ipsi existimarent versiculos illos ad Satiram decimam pertinere, tamen eos non in principio sermonis sed alio in loco collocandos esse indicaverunt. In qua sententia fuerunt Reisigius et I. Val. Frankius, Dorpatensis, ex quibus ille eos post vers. 51., hic antem post v. 71. interponendos censuit utpote malo errore loco suo depulsos. Quibus quidem num alii quoque suffragati sint, ignorare nos fatemur, qui illud unum compertum habeamus, gravissime impugnatam esse hanc rationem ab Eichstadio in Supplemento prioris libelli sui, cuius supra mentionem iniecimus. Transeamus igitur ad tertiam rationem, qua viri docti versus illos, de quibus agitur, licet eos non ad Satiram decimam pertinere sibi facile persuasissent, tamen Horatio vindicare conati sunt. Quo loco primum commemoranda est Heindorfii opinio etiam Bothio probata, qui hoc aut aliquod simile carmen aliquando a poeta inchoatum quidem nec tamen absolutum esse putarunt, quippe quum eum consilii sui propter ignotam aliquam caussam vel etiam propter acrimoniam, qua ista in chartas coniecerint, poenitere coepisset; inde igitur factum esse suspicantur, ut illud postea Satirae decimae, utpote in consimili arguento versanti, a scribis ac librariis praeponeretur, ne scilicet quidquam Horatiani deesset, quod ad eandem materiam referretur. Atque idem fere etiam statuit Heusdius l. c. p. 139. coll. p. 122. sqq. qui versiculos ait ab ipsis Satirae decimae argumento utique alienos esse ac videri prius compositos, deinde repudiatos et in commentariis reclusos, inventos autem post poetae obitum; risisse vero illis Horatium semet ipsum utpote puerum ab Orbilio magistro plagis

tractatum et ad litteras institutum. Nec vero ab his multum dissentunt Morgensternius, Weichertus, Car. Frankius, Weberus, alii, qui certe omnes in ea sunt sententia, ut Horatium putent ab his ipsis versibus satiram vel decimam vel etiam aliam quampiam exorsum esse, postea autem mutato scribendi consilio quae scripsisset acerbius seposuisse et in scriniis servasse, usque dum post mortem eius publicarentur quae dintius iacuissent abscondita. Et ab hac ipsa sententia profectus etiam is est, qui nuper rime demum ortum fragmenti accuratius exquirere conatus est in eaque quaestione a reliquorum criticorum ratione non parvam fecit discessionem. Jo. enim Bekkerus, vir doctissimus, quem aliunde tum imprimis ex Suetonio docuit, de quo sane nulla umquam fuit controversia, Tiberium Neronem, Augusti privignum, litterarum antiquorum atque artis grammaticae perquam amantem fuisse. v. Suet. Tib. 70. et 71. coll. c. 11. 16. 21. 32. 56. 57. Quintil. III. 1. Iam vero ex Horatio Epistol. I. 3. coll. 2. eundem constat imprimis etiam in expeditione a. u. c. 734. in orientem suscepta doctos homines in comitatu suo habuisse, Titium, Septimum, Julium Florum, Munatum Plancum. Hi autem omnes quem doctis studiis operati sint, rectissime fieri potuisse arbitratur, ut equites grammatici ab Horatio appellarentur, quippe quem fuissent in Tiberii cohorte. Ex quo perspicuum esse vult equites grammaticos non intelligi alias, quam doctos illos Tiberii comites. Quin indidem etiam clarum fieri arbitratur, quisnam in prooemio Satirae Horatianae equitum grammaticorum doctissimus appellatus sit. Eum enim intelligi unum Julium Florum. Enimvero hunc Scholastes ad Horat. Epist. I. 3. 20. sqq. testatur „Satirarum fuisse scriptorem et extare eius Electas ex Ennio, Lucilio, Varrone.“ Ex quo vir doctissimus protenus conclusit eum id ipsum maxime egisse, ut veteris satirae dignitatem contra recentiores defenderet et fastidia novitiorum poetarum atque criticorum adversus antiquam poesin concepta pro viribus depelleret. Quod autem ille dicatur puer loris

et funibus esse tractatus, Florum suspicatur pariter atque Horatium Orbilio usum esse magistro, quem ex Horat. Epist. II. 1, 71. plagosum fuisse constet quemque Suetonius scribat hominem acerbae fuisse naturae, ut proinde etiam pueros durius tractaverit. Quocirca verisimillimum esse existimat, Horatium istis Flori studiis, quibus antiqua et obsoleta aequalibus commendare conatus sit, indignatum, posteaquam Satiram decimam dudum litteris consignavisset, post a. u. c. 734. hos versus tamquam epigramma quoddam lusisse, quod tamen, quia Tiberius Flori studiis impensius faverit, postea demum in lucem publicam sit protractum atque codicibus poematum Horatianorum insertum.

En igitur largam sane copiam sententiarum, qnas critici ad haec usque tempora de octo versibus supra adscriptis in medium attulerunt, ut qui eas vel fugitivo oculo perlustraverit, is prope invitum in eam deducatur opinionem, ut quaestionem plane inextricabilem esse existimet neque denuo suscipiendam. Nihilominus nos quidem penitus nobis persuasimus, posse rem obscuram illustrari dilucidius adeoque ad maiorem quamdam verisimilitudinis probabilitatem explicari, dummodo praeter ea, quae adhuc a criticis explorata sunt, dubiis verbis illustrandis diligentius adhibeantur, quae a Suetonio de antiquioribus litterarum Romanarum fatis atque studiis tradita sunt. Videntur enim utique veri aliquid pervidisse J. Ger. Vossius De Poetis Latinis p. 9. qui Lambino adversans versus valde antiquos esse censuit, atque Kirchnerus Commentar. Vol. I. p. 326. sqq. qui eosdem M. Furio Bibaculo, Ciceronis et Valerii Catonis aequali, de quo mox pluribus dicendum erit, vindicare studuit, quamquam hic veris etiam falsa admiscerit, ut sententia ipsius haud sane omni ex parte probari queat. Quocirca nos quidem totam rem nostro atque proprio instituto denuo pertractare constituimus. Itaque primum quidem verba nihil habere ostendemus, quod sequioris aetatis usum loquendi arguat; deinde universi loci argumentum habitumque docebimus

neque cum Satira Horatiana congruere neque ad eam consummandam ullo modo facere; tum Horatium demonstrabimus versiculos illos propter temporum rationes numquam potuisse chartis mandare; porro exquirere conabimur, quibusnam illi temporibus et quanam rerum opportunitate compositi esse videantur; denique totum locum, quo certius etiam confirmentur quae antea de eo disputata fuerint, interpretationis luce collustrare studebimus. Quibus omnibus expositis postremo ultro appariturnum esse speramus, quid de fide et auctoritate eius existimandum sit.

Itaque primum quidem de dictionis probitate et castitate ubi quaeritur, de ea re quid sentiendum sit, brevissime exponere licet. Videtur enim illa tanta esse, ut toto loco nihil quidquam reperiatur, quod ab usu aureae Latinitatis abhorreat aut veteri Latio indignum sit. In quo iudicio videmur vel eos consentientes habere, qui verba pro genuinis agnoscere dubitaverunt. Nam ne unus quidem ex illis, qui locum ut adulterinum damnarunt, unquam exstitit, qui vitiosi quiddam in eo demonstraret, quod aut posterioris aut depravatae Latinitatis consuetudinem referret. Quin iidem illi partim ultro contestati sunt, in verbis certe nihil quidquam reperiri, quod non optimae aetatis orationi conveniat, ac si quid sit, quod offendere possit, pertinere illud totum ad sententiarum perspicuitatem et elegantiam; id quod imprimis etiam Eichstadius et Jacobsius libere professi sunt. Quare iudicium eorum, quae ut minus recta notata sunt, magnam saltem partem pendet e venustatis et convenientiae rationibus, quae indagatis demum veris loci rationibus investigatisque germanis ipsius originibus recte aestimari poterant; de quibus infra loco opportuno explicandum erit. Tale vero sine dubio est illud, quod statim initio Lucilius compellari ac tantum non increpari videtur rusticus; tale item est quod parat, praesens tempus, parum commode visum est adhibitum esse; pertinet huc etiam quod vers. 3. melior dici videtur pro cautor et prudentior, in quo imprimis offendit Fr. Jacobsius; nec te-

mere huc revocaveris clausulam istam: ut redeam illuc, quam plurimi censuerunt non habere in superioribus quorsum commode referatur, ideoque ab iis interpositam putaverunt, qui prooemium istud cum Satira Horatiana arctius copulandum statuissent, quo scilicet unum tamquam corpus totius scriptionis efficeretur. Quae omnia quum vero reperto facile demonstrari queat quomodo accipienda sint, tum ad linguae ac verborum vitiositatem arguendam profecto nihil plane momenti faciunt. Quin affirmari etiam licebit, habere sermonem versiculorum aliquid duri, asperi et inculti, quod ipsa specie sua antiquorem prodat fragmenti originem. Quod quidem revera ita esse, nos certe tanto magis nobis persuasimus, quod non pauca alia sunt, quae eam sententiam non leviter muniant et confirment. Itaque hoc quidem primum est, quod in hac caussa pro certo et explorato habere liceat. Quod quantum ad eam reete prudenterque diiudicandam momenti faciat, mox etiam clarius apparebit.

Iam vero ad hoc accedit etiam aliud quid, quod certe et ipsum ad rei controversae iudicium non parum valet. Etenim nos quidem si quid indicare possumus, ab Eichstadio et Jacobso, quibus nuper etiam Kirchnerus adstipulatus est, invictis argumentis est demonstratum, falsos esse eos omnes, qui inter prooemium istud, quod dicere licebit, atque Satiram X. Horatianam tam arctam necessitudinem intercedere existimaverunt, ut ambo unum idemque corpus conficere putanda essent. Cui sententiae multa sunt quae gravissime officiant. Nam primum quidem color prooemii plane discrepat a sermone Horatiano. In hoc enim regnat festiva quaedam urbanitas ac prope modestia, qua poeta quod fecerat de Lucilii inertia iudicium ita defendit, ut non modo caussas et rationes sententiae suae magna cum moderatione exponat, verum etiam illi landem ingenii summam impertiatur. A qua ratione amaritudo ista ac virulenta iracundia, qua prooemium in Lucilii amicos invehitur, adeo recedit, ut cum Horatiana ve-

nustate nullo pacto conciliari queat, praesertim quum poeta Venatus in hac ipsa Satira v. 13. sq. iocosum et urbanum ab acria distinxerit, ut illud unum in satirarum scriptione probavisse videatur. Itaque legat nobis aliquis uno tenore priores illos octo versiculos una cum Satira Horatiana animo ad id ipsum attento, ac facile sentiet, quam varii sensus hic atque illie regnent et quam diversa ratione expressi sint. Nimirum sunt illi profecto tales, qui nec in unum eundemque scriptorem nec in eiusdem poematis auctorem convenire videri debeant. Praeterea vero nec argumentum versiculorum illorum cum Satira Horatiana ullo modo concordat. Imo illis adscitis, sive in principio poematis sive alio loco ponantur, ubi carmen citius per volaveris, nullo negotio animadvertes, admixtum esse aliquid peregrini, quod a re proposita sit alienissimum. Erit enim sine dubio unicuique maximae offensioni, quod quum poeta id unum agat, ut suum de Lucilio iudicium adversus obtrectatores suos tueatur, tum etiam alii imprimisque grammaticorum ille equitum doctissimus, quem scriptor vocat, acerimo sale perflicantur, idque ipsum ea ratione instituitur, ut quoniam vinculo acerba haec vituperatio cum illo defensionis consilio cohaereat, ne leviter quidem significetur. Ad haec vero omnia denique etiam illud accedit, quod Satira Horatiana tali exordio vel additamento nequaquam indiget. Est enim ipsa in se plane absoluta omnius ex parte secum consentiens, ut quidquid aliunde accesserit, id eius convenientiam partiumque concentum moleste interturbatur videatur. Nam quod Döringius et Apitzius contendunt, vel primum Satirae vocabulum Nempe indicare eam initio esse truncatam et aliquid desiderari, quorsum illud referatur, in eo certe multum falsi sunt. Rectissime enim iam veteres Scholiastae, neglecto vel ignorato exordio adventicio, perspexerunt, Satiram decimam respicere ad Satiram quartam libri primi ideoque hinc ita commentandi fecerunt initium, ut istud nempe illi ratione convenienter explicarent. Audias enim Acronem: Nempe, in-

quit, aut non firmantis (lege: confirmantis) aut interrogantis, i. e. certe confiteor me dixisse, quod asperos et incompositos versus fecisset Lucilius; respondet enim his, a quibus culpatus erat, quod Lucilii versus damnasset in Satira: Eupolis atque Cratinus, et dieit se non poetam increpasse, sed versus.“ Eadem fere habet Porphyrio, qui annotat: Respondet iis, a quibus inculpatus erat, quod Lucilii versus damnasset in ea satira, quam supra habuit, quae sic incipit: Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae, etc. Accuratus etiam Schol. Cruq. p. 398. addit: „Nempe concedentis est, quasi dicaret: fateor me dixisse, quod asperos Lucilius et incompositos versus scripserit.“ At nimur de usu vocabuli Nempe ab iis potissimum usurpati, qui quid vel cum irrisione vel cum indignatione concedunt aut cum ironica gravitate verum esse asseverant, ut quum nostrates dicunt: „Nun ja, nun ja freilich, res tralatia est, de quo nsu ut non pluribus commentandum sit, faciunt doctae disputationes Dissenii ad Tibull. I. 2, 61. Hartungi De Particulis Graecis Vol. I. p. 485. sqq. Heinrichi ad Pers. Sat. III. 1. quae Satira item, nulla alia sententia praemissa, protenus sic orditur: Nempe haec assidue; iam clarum mane fenestras intrat etc. Itaque de integritate initii Satirae Horatianae per istud Nempe haudquaquam dubitare cogimur, quod certe elegantissime in principio est positum a poeta ultiro cum irrisione quadam concedente, scripta utique a se olim esse, quae sibi iam temere ac perverse ab adversariis vertantur opprobrio. Nec vero multum movemur Apitzii dubitationibus, qui Satira decima censuit vix respici potuisse ad quartam, quandoquidem altera ab altera non parvo temporis intervallo seinneta fuisse videatur, adeoque in dissimili arguento tractando versetur. Nam neque quartae Satirae natale tempus exploratum habetur, quam alii a. u. c. 716. vel 718. alii a. 723. vel 724. scriptam

putant, neque certo constat, quando Satira decima litteris exarata aut in publicum emissa sit, siquidem ambigitur, num ea a. 718. vel 719. an a. 723. in lucem publicam prodierit. Quamquam utraque probabiliter ad a. u. 722. et 723. refertur, sicuti etiam Weichertus et Kirchnerus censuerunt. Quid igitur? Haec quum ita sese habeant, quis tandem sibi persuadebit, decima Satira non potuisse commodissime ad quartam respectari, aut quis eo usque progredietur, ut propter temporum diversitatem tale exordium necessarium esse contendat, quale vulgo Satirae decimae praefixum circumfertur? Nimirum de hac quidem opinione quid indicandum sit, adeo non est obscurum, ut ad eam confutandam ne verbo quidem amplius opus sit. Nec vero aliter de eo existimamus, quod Apitzius censem ex Satira IV. nihil posse cogitando repeti et assumi, ad quod praemissum Satirae decimae exordium revocetur, quoniam decima Satira non propter quartam, sed propter aliam caussam exarata sit. Patet enim propemodum sponte, Horatium in Satira decima utique id egisse, ut suum de Lucilio iudicium fortius defenderet eaque opportunitate etiam quantopere malignos obtrectatores suos contemneret, apertius declararet, in quo manifesto respexit ad ea, quae in Satira quarta de Lucilio indicasset, licet hunc sermonem omnino in alia re tractanda versari concedendum sit.

Sed pergimus ad tertium illud, de quo supra diximus ordine deinceps disputatum iri. Negamus enim omnino fieri potuisse, ut Horatius ullo umquam tempore versiculos istos, de quibus quaestio est instituta, litteris exararet, ut ne ii quidem recte statuisse existimandi sint, qui eos a poeta tamquam alias satirae prooemium vel etiam tamquam singulare aliquod epigramma nescio quo tempore litteris consignatos esse coniecerunt. Quod ut ita statuamus, facit repetitus temporis praesentis usus in ipso fragmenti initio: **Lucili**, quam sis mendosus — qui male facto's emendare parat versus; hoc lenius ille, est quo vir melior etc.

Nimirum istud parat et est certe nullo pacto potuit de homine dudum mortuo dici, ut plane necesse sit, versus tum scriptos esse, quum Cato adhuc in vivis esset atque id consilii agitaret, ut Lucilii satiras refingeret et recentioris aetatis elegantiae convenientiores effingeret. Neque enim Dünzterum credimus in libro: *Kritik und Erklärung der Horaz. Satiren* p. 249. recte sensisse, qui sibi persuasit praesens tempus parat positum esse loco praeteriti, ut vers. 1. de *Lucilio*: *quam sis mēdōsūs*. Nam quum sis facile appareat cur de *Lucilio* quamvis mortuo recte dicatur, quippe cuius poemata etiam tum usque extabant tamquam praesentia, tamen emendare parat et est quo vir melior non potuit nisi de *Catone* adhuc vivo et emendationis consilium agitante dici. Neque vero praesentis temporis usum licet ex scribentis insitia declarare, in qua sententia alium criticum fuisse novimus. Nam quis tandem sibi persuadeat vel mediocris versificatoris umquam eam fuisse perversitatem, ut ne tempora quidem verborum recte discerneret? Itaque nihil aliud nisi hoc relinquitur, ut quae ramus, quisnam Cato ille fuerit, cuius in hoc fragmento iniecta est mentio. Et Eichstadius quidem propter id ipsum, quod de eo ut aequali sermo est, fieri posse suspicatur, ut aliquis criticus, *Horatio* aetate fere par, intelligendus sit, qui carmina *Luciliana* emendare instituerit. Cui tamen suspicioni sicuti ipse non multum tribuit, ita plurimum officit illud, quod *Cato* iste, *Horatii aequalis*, nusquam memoratur. Quocirca sine dubio intelligitur *Valerius ille Cato*, de quo multa narrat *Suetonius De illustribus Grammaticis* c. 2. 4. 11. quemadmodum inde a *Georgio Fabricio* ad hanc usque aetatem plerisque omnibus persuasum fuit. De eo vero nostra aetate singulari opera exposuerunt *Wernsdorf. Poett. Latt. minor. Vol. III. p. XLVI. et LXXI. sqq.* *Car. Putschius Valerii Catonis Poematt. Jen. 1828. 8. Jacobsius Scriptt. Miscell. Germ. Vol. V. p. 639. sqq.* *Lehrsch in Zimmermanni Horreo Antiquitat. Studior. a. 1839. Fol. 42. p. 342.* *Naekius*

Carmin. Valerii Catonis p. 252. sqq. ex quorum disputationibus perspicuum est magnam eum nominis celebritatem non modo pangendis poematis sed etiam critica factitanda adeptum esse, ut perquam idoneus magister haberetur maxime ad poeticam tendentibus, neque ab antiquioribus poetis retractandis fuisse alieniorem. Quocirca Suetonius l. c. cap. 4. eum narrat a Messala Corvino salutatum esse literatoris nomine. Quod quid significet, haud sane dubium est. Fuerunt enim litteratores atque literati non qui hodie eo nomine appellari consueverunt, sed iidem atque grammatici (v. Suet. l. c.), quorum opera versata est in ἀναγνώσει, lectione vel interpretatione critica, διορθώσει, emendatione scriptorum, ἐξηγήσει, enarratione, historiarum, fabularum, antiquitatum ope sustentata, denique ζοίσει, iudicio, quo quid vere quidve prave dictum vel scriptum esset, decernebatur, ut per omnes elegantiorum litterarum partes vagati sint; suntque ab iis probe distincti grammaticae, qui initia litterarum tractabant tradebantque pueris elementa, vocales et consonantes, syntaxeos quae dicitur disciplinam et quae sunt id genus alia, quamquam hi et ipsi videntur litteratores appellati esse, ita ut a literatis sive grammaticis discernerentur. v. Valesius De arte critica I. 1. et 2. ibique Burmannum in ann. coll. Sueton. l. c. cap. 4. Hunc igitur Catonem, nobilem poetam et grammaticum, illum ipsum esse putamus, qui istis versiculis significatur. Hoc autem si ita est, nullo pacto fieri potuisse contendimus, ut versus illi, de quibus nunc ipsum agitur, ab Horatio prescriberentur, quippe quum Cato quo tempore ille carmina satirica pepigit, aut non amplius in vivis fuerit, aut saltem tam grandem attigerit senectutem, ut eum tum ad Lucilium emendandum accessisse nullo pacto credibile sit; quamquam id credit, quod sane mireris, criticus alias cautissimus, Aug. Ferd. Naekius ad Carmina Valerii Catonis p. 254. sqq. Etenim ut de Catonis aetate parum certo constet, tamen non modo ex iis, quae apud Suetonium prescripta leguntur, sed etiam

ex carminibus ipsi criticorum acumine vindicatis, tantum sane perspicere licet, quantum ad rem praesentem dijudicandam sufficiat. Suetonius enim De illustr. Grammaticis c. 11. „Valerius Cato, inquit, ut nonnulli tradiderunt, Burseni cuiusdam libertus, ex Gallia: ipse libello, cui est titulus Indignatio, ingenum se natum ait, et pupillam relictum, eoque facilius, licentia Sullani temporis, exutum patrimonio. Patrimonium ipsi erectum ex carminibus ad Lydiam itemque ex Diris intelligitur agris maxime constitisse, quandoquidem in illis sese beatum praedicat quod una cum Lydia sua in praedio vivere liceat; in Diris autem v. 40. 41. 89. 95. sq. agrorum amissionem acerbe deplorat et illis pariter atque Lydiae in omne tempus valedicit. Situm autem hoc praedium fuisse in Gallia Cisalpina, sponte ex eo appareat, quod Suetonio teste ex Gallia oriundus fuit, ubi constat iam mature litterarum elegantiorum studia laete floruisse. Ibi igitur Sullani temporis iniuria bonis suis aut saltem agris, primaria patrimonii parte spoliatus est. Quod quo tempore ita factum sit, in aprico est. Nam quum proscriptiones Sullanae, quibus inter alia eorum bona, qui adversariorum partium fuisse viderentur, lubidinose divendita sunt, in annum u. c. 672. inciderint, quumque legibus Cornelii agrariis anno 673. = 81. a. Chr. n. latis veteranis militibus Sullanis agri sint assignati deductaeque proinde in varias civitates coloniae militares, perquam sane verisimile est, etiam in Gallia tum perduellum agros militibus fuisse tributos, praesertim quum Gallia Sullae diutius inimica extisset. Qua de re docte disputavit Naekius l. c. p. 264. v. Appian. Bell. Civ. I. 86. 92. 100. coll. Livii Epit. 89. Itaque Cato a. u. 673. vel 674. videtur patrimonio suo fuisse spoliatus. Iam vero si quaeritur de aetate, quam tum habuerit, dubitari certe minime potest, quin non amplius fuerit puer aut adolescentulus, sed potius annis maturior. Id quod Naekius l. c. verissime ex eo conclusit, quod iam ante agrorum amissionem Lydiam

scripserit carmen, Suetonio teste c. 11. olim praecipue probatum ideoque neutquam puerile tirocinium, quodque etiam Diras composuerit, quum agrum sum militibus datum iri accepisset: nos inde quoque colligimus, quod tum, quum patrimonii sui iacturam fecit, certe iam adeo adultus fuerit necesse est, ut propter studia sua atque consilia adversariis suspectus videri ideoque negotiis implicari atque criminationibus peti posset. Haec vero quum ita sese habeant, profecto unicuique mirum accidat necesse est, quod apud Suetonium narratur ipse scripsisse, ingenum se natum et pupillum relictum, eoque facilius licentia Sullani temporis exutum patrimonio esse. Nam pupillus certe tum nullo pacto adhuc esse potuit, neque hanc difficultatem ita expedire licet, ut cogitemus de lege Plaetoria de circumscriptione adolescentium lata, qua ita fuit sancitum, ut omnibus adolescentibus nondum viginti quinque annos natis curatores darentur atque minorrennitatis et maiorennitatis, ut vocant, discriminé constituto legitimae aetatis terminus ad annum aetatis vigesimum quintum exenitem prorogaretur; v. Rein Römisch. Privatrecht p. 114. sqq. et quos is testes adhibuit. Nam ut haec lex ad Catonem pertinnet, tamen ille vel sic non potuit dici pupillus bonis suis spoliatus esse, quandoquidem pupillaris aetas etiam ex hac lege eorum fuit, qui nondum attigissent pubertatem. At nimur speciosa tantum haec difficultas est, quandoquidem locus Suetonii aliter interpretandus est, quam primo adspectu videtur. Quippe Cato neutquam narravit sese olim pupillum bonis suis spoliatum esse; sed illud potius significavit, relictum se esse pupillum atque parentibus mature orbatum, eoque facilius etiam fieri potuisse, ut postea, ubi de agris inter milites Sullanos dividendis ageretur, vafri iuris calumnia patrimonio suo privaretur. Itaque nihil sane impedit, quominus Catonem cum Naekio l. c. statuamus tempore Sullano iam aetatem habuisse viginti quinque octove annorum; imo ut ita existimemus, ea omnia, de quibus modo exposuimus, prope necessitate

quadam efficiunt. Atque hinc sponte iam consequitur, ut quo tempore Horatius sua de Lucilio iudicia palam fecit, Cato aut non amplius superstes fuisse aut saltem non tum demum ad emendandum Lucilium accedere potuisse indicandus sit. Constat enim poetam Venusinum ad satirarum scriptio[n]em non prius quam inde ab anno u. c. 713. vel 715. animum appulisse; de qua re nuper disputavimus in *Commentatione De Vita et Scriptis Horatii p. XXXIV.* sqq. Non est autem credibile, cum statim ab initio novi curriculi, quod erat ingressus, acerbius in Lucilium inventurum fuisse; quod certe illo demum tempore ab ipso factum esse consentaneum est, quo compluribus iam sermonibus ab eo in lucem publicam emissis extiterant, qui de novae poesis laudibus ac virtutibus maligne detraherent, veterem illam Lucilianam magnis praeconiis ornarent adeoque venustati isti atque elegantiae novitiae et aliunde adscitae longe anteponendam esse dictitarent; quod certe tanto facilius ita accidere potuit, quod etiam tum inter Romanos inventi sunt, qui veterum poetarum studio et amore mirabiliter capti tenebrentur. v. *Hor. Sat. I. 10*, et *Epistol. II. 1.* vers. 1—100. Itaque pro certo sane ponere licet, aliquot saltem annos praeterisse, priusquam Horatius suam defensurus rationem Lucilium inertiae atque negligentiae arguere et convincere auderet. Iam vero ubi sumimus, quod tamen secundum ea, quae modo exposuimus, minus probabiliter statuitur, id primum circa a. u. 716. vel 718. ab eo susceptum esse, ad quod tempus critici quidam satirae libri I. quartae ac decimae origines retulerunt, habuit Cato iam tum prope septuaginta annorum aetatem. Si vero litem de veteris et recentioris satirae existimatione circa a. 722. vel 725. exarsisse putamus, quo tempore alii censem eas, quas modo diximus, satiras litteris exaratas esse, fuit ille tum iam fere octogenarius, quandoquidem annum aetatis septuagesimum sextum superaverat. Denique ubi cum Jo. Bekkero statueris versiculorum ortum ad a. u. 734. pertinere, Cato adeo nonagenarius senex in medium prodibit. Quid vero?

num qua videbitur credibile, senem vel septuagenarium vel etiam octogenarium id muneric in se suscepisse, ut amplissimum Lucilii opus retractaret et iuentutis Romanae palato accommodatus redderet? Nam consilium tum, quum versus scripti sunt, recens captum esse, manifesto indicant verba: emendare parat versus, quae similiter accipienda sunt atque illa Horatii Epist. I. 3, 23. seu civica iura respondere paras. Sat. II. 3, 13. invidiam placare paras. Virgilii Aen. IV. 390. multa parantem dicere. Nepotis Datam. c. 4. quum proficiisci pararet. Aut num quis sibi persuadebit magnam tum adhuc esse potuisse aequalium de tali opere exspectationem? Enimvero quum ipsa senectus infirmitas, qua Cato tum laborabat, spem et exspectationem popularium imminuere debuerit, tum ne fama quidem et existimatio viri postremo vitae tempore permansisse videtur eadem atque superiore aetate, quandoquidem teste Suetonio l. c. cap. 11. postquam Tuseulana villa creditoribus cesserat, ad extremam senectam in summa pauperie vixit, ut vel in gurgustio se abscondere vel etiam inops sub tegulis habitare coactus fuerit. Quam in rem extant lepidi versiculi L. Furi Bibaculi: Catonis modo, Galle, Tusculanum, Tota creditor urbe venditabat. Mirati sumus unicum magistrum, Summum grammaticum, optimum poetam, Omnes solvere posse quaestiones, Unum difficile, expedire nomen. En cor Zenodoti, en iecur Cratetis. Quos quidem versiculos nemo erit quin sponte sentiat in Catonem acerbum quemdam irrisionis aculeum continere, licet certiorum magnam viri laudem complectantur. His autem disputatis satis clare iam apparere existimamus, verum esse quod antea indicavimus, fieri nullo modo potuisse, ut Horatius fragmentum illud, de quo disputare instituimus, litteris consignaret. Sunt enim versus manifesto ipsius aetate multo antiquiores, quippe qui eo demum tempore ad scribendum accesserit, quo Cato aut dudum senectute erat decrepitus aut non amplius vitae luce fruebatur. Ex quibus posterius quod

possumus utique videtur verisimilius esse. Quamquam enim minime constat, quando diem supremum obierit; tamen quod apud Horatium nusquam ne verbo quidem memoratur, id sane est eiusmodi, ut ipsum mortuum fuisse verisimiliter suspicari liceat, priusquam hic ut poeta inter populares suos inclaresceret.

Verum his uteunque expositis etiam ad alium locum pervestigandum accessisse iuvabit, quo illustrato rei perquam obscurae ac difficiili etiam plus lucis accessurum esse sperare liceat. Quaerendum enim etiam est, quanam temporum opportunitate et qua rerum conditione versiculi obscurae originis nati sint et in lucem editi. Quam quidem quaestionem ut speremus non plane irritam esse futuram, faciunt ea, quae Suetonius De illustr. Grammaticis cap. 2. memoriae tradidit, quippe quae ita comparata sunt, ut ad explicandum exordium carminis Horatiani, quale nunc circumfertur, sanequam plurimum valeant. Narrat enim Suetonius ibi haec: „Primus, inquit, quantum opinamur, studium grammaticae in urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi aequalis, qui missus ad senatum ab Attalo rege inter secundum et tertium bellum Punicum sub ipsam Ennii mortem plurimas ἀνθοδοεις subinde fecit assidueque disseruit ac nostris exemplo fuit ad imitandum.“ Quod quidem, ut id statim hic admoneamus, factum esse constat circiter Olymp. 152. 4. a. u. c. 585.=a. Chr. n. 168., sicuti probabilibus argumentis demonstravit Lyndenius De Panaetio Sect. I. §. 6. qui de hoc Cratete, Panaetii doctore, disputavit accuratissime. Pergit autem Suetonius deinceps hunc in modum: „Hactenus tamen imitati, ut carmina, parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendō commentandoque etiam ceteris nota facerent: ut Caius Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continentī scriptura expositum divisit in septem libros; ut postea Q. Vargunteius an-

nales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat; ut **Laelius Archelaus Vectiusque Philocomus** (sic enim cum Gronovio, Oudendorpio et Wolfio leg. pro vulg. **Laelius, Archelaus, Vectius Quintus Philocomus**) **Lucilii** satiras, familiaris sui; quas legisse se apud **Archelaum Pompeius Lenaeus**, apud **Philocomum Valerius Cato** praedicant. Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam **L. Aelius Lanuvinus**, generque Aelii, **Servius Clodius**, uteque eques Romanus, multique ac varii in doctrina et republica usus. — Post hoc magis ac magis et gratia et cura artis increvit, ut ne clarissimi quidem viri abstinnerint, quominus et ipsi aliquid de ea scriberent etc.“ Haec igitur Suetonius. Quae quidem, sicut iam antea professi sumus, nobis utique videntur ita comparata esse, ut ad dilucidandum fragmenti ortum pariter atque argumentum plurimum faciant. Et primum quidem quantivis pretii illud videtur esse, quod inde de Valerio Catone aliquid comperimus, quod ad rem praesentem vel maxime pertineat. Narratur enim ille praedicasse apud Philocomum, **Lucilii** familiarem, huius se satiras legisse, dum ille ipsas retractaret et legendu commentando ceteris notiores ficeret. Nimurum diligenter hic est tenendum, quod praeterit **Fr. Jacobsium Scriptt. Miscell. Vol. V. p. 255. sq.** legere in re critica esse vocabulum artis, quod dicitur de discipulo vel lectionis administro, ut **Graecum ἀναγνώσειν**; quam **prælegere**, ut **Graecum παραγγείν**, magister dicatur; quae scita est **Casauboni** observatio ad **Suet. De illustr. Gr. c. I. p. 292. ed. Wolf.** Quamobrem Cato existimandus est sibi aliquid laudis et commendationis exinde quaesivisse, quod iam olim in legendis et commentandis **Lucilii** satiris duce Philocomo exercitatus esset; ex quo certe coniicere licet eum etiam postero tempore in tractando **Lucilio** occupatum fuisse, ut mirum non sit, si quando etiam animum induxerit illum sua opera emendare eoque aequalibus suis ex-

hibere lectu vel faciliorem vel iucundiores. Quamquam hoc consilium num revera peregerit et ad exitum perduxerit, non iniuria dubitaveris, quandoquidem de tali ipsius opera nec apud Suetonium nec usquam alibi quidquam proditum est. Ac simile quid propositum habuise videtur etiam Pompeius Lenaeus, libertus Pompeii Magni, qui se se gloriatus est apud Archelaum Lucilii satiras legisse, praesertim quam ille teste Scholiasta ad Horat. Sat. II. 1, 75. **L**ucilium magnum avunculum habuerit. Atque haec quidem si probabilius sunt disputata, sponte iam intelligitur, opinor, quorsum pertineant et quomodo intelligenda sint verba fragmenti: teste **C**atone, defensore tuo, **p**ervincam, qui male factos emendare parat **v**ersus: quae certe ex Suetonii narratione tantum lucis accipiunt, quantum in tanta rerum obscuritate vix expectare liceat. Sed quum hinc multum sane profecerimus ad rei difficillimae quaestionem expediendam, tum etiam alia leguntur apud scriptorem praestantissimum, quae et ipsa ad eam profligandam ulterius longe sint utilissima. Narrat enim ille porro, auctam deinde et amplificatam esse grammaticam a **L. Aelio Lanuvino** eiusque genero, **S**ervio **C**lodio, utroque equite Romano. De quibus quidem forte fortuna ita accidit ut etiam aliunde plura acceperimus quam ipse memoriae prodidit Suetonius. Etenim **L**uci **A**elius, cognomine **Praeconinus** vel **Stilo**, **Lanuvinus**, qui floruit a. u. circiter 668. satis notus etiam ex **Cicerone** est itemque ex **Gellio** N. A. X. 21. **Q**uintil. X. 1, 99. al. Fuit nimirum imprimis exercitatus in litteris Latinis et antiquitatis insigniter peritus, (v. **Cic.** Brut. 56, 205. sqq.), **Varronis** praceptor, a **Cicerone** etiam adolescente auditus (v. **Brut.** I. c. **Acad.** I. 2.). Cui quid commercii cum studiis **Lucilianis** intercesserit, minime obscurum est. Quippe huic **Lucilium** priorem **Satirarum** librum inscripsisse, liquido testantur quae leguntur apud **Varronem** De ling. Lat. VII. 7. et in Rheticis ad Herenn. vulgo **Ciceroni** adscriptis IV. 12, 18. ubi ipsius **Lucilii** verba cum vitii notatione afferuntur haec: „**H**as res

ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli.“ Quae quidem tenuisse ad rem praesentem sufficiet; plura de eo si qui scire aveant, iis praesto erunt Carrion. Antiquit. I. 8. Harduin. Ind. Auctor. ad Plin. Nat. Hist. s. h. n. Ernesti Clav. Cie. s. v. Aelius. Bateri Onomast. Tullian. P. II. p. 11. sq. Iam vero de Servio Cludio, illius genero, ubi quaeritur, de hoc quoque similia sunt memoriae prodita. Fuit enim etiam hic vir literatissimus et criticus acerrimus, ut extemplo posset indicare, quinam versus Plauti essent, quive non essent, auresque haberet mire tritas notandis generibus poetarum et consuetudine legendi assidua (v. Cie. Ep. Fam. IX. 16. ad Att. I. 20, 7. II. 1, 12. Varron. Fragm. p. 355. ed. Bip.). Nec vero dubium est, quin et ipse animum imprimis ad Lucilii satiras adverterit utpote a scriptore celeberrimo L. Aelio suo, hoc est ab equite equiti, dedicatas eoque etiam secum ipso communicatas. Atque his ita disputatis videmur iam tandem etiam illud iudicare posse, quinam in fragmento, de quo nunc agitur, dicti sint equites grammatici. De quo dici non potest quam mira saepe commenti sint critici et interpretes. Nam Heusdius Stud. Critt. in Lucil. p. 122. grammaticos equites censuit dici omnino eos, qui caussam antiquiorum poetarum pugnaciter tuiti sint et in aliter sentientes acrius inventi. Quae ratio loquendi consuetudini mirum quantum adversatur. Jo. Bekkerus porro, sicuti iam supra ostendimus, intelligendos putavit doctos Tiberii Neronis amicos, qui a. 734. in expeditione in orientem suscepta ipsum sint comitati. Qui tamen quo iure equites appellari potuerint, haudquaque intelligitur, ut sponte appareat viri docti sententiam de universo fragmento propositam etiam hac ex parte laborare miserrime. Denique nuper Kirchnerus Commentar. Satir. Vol. I. p. 331. scribendum censuit: grammaticorum equidem doctissimus, i. e. utique, certe doctissimus, sicuti ipse interpretatur, ut verba referenda sint ad superius illud: Hoc lenius ille, h. e. ad Valerium Catonem. Qua mutatione sicuti verborum nexus et cohaerentia insolentius perturbatur, ita etiam

omnis lepos eorum ac festivitas deperditur. Nimirum equites grammatici manifesto intelligendi sunt grammatici equestris dignitatis, iique Catoni fere aequales, **Lucius Aelius et Servius Clodius**, ac fortasse praeter hos etiam alii, quandoquidem tumita factum est, ut equites imprimis artium liberalium studiis operam darent. v. **Senec. Controv. II. Praef.**; unde iidem etiam aetate Horatii optimi elegantiae poeticae indices atque arbitri habitu sunt, sicuti perspicue intelligitur e **Satir. I. 10, 76. Epistol. II. 1, 182.** et **Art. Poetic. v. 113.** ubi consulatur ann. **Bentlei.** Quibus ita exploratis certe protenus omnes evanescunt difficultates, quibus vulgo haec verba laborare existimata sunt. Id quod certissimo est documento, fragmentum illa aetate scriptum esse, qua tum Valerius Cato tum doctissimi isti equites grammatici aetatem degerunt. Itaque commode iam licebit procedere ad disputandum id, quod cum illa quaestionis parte arctissimam habet coniunctionem. Memoratur enim in versibus illis etiam equitum grammaticorum doctissimus, qui in Lucilio emendando intemperantius grassatus sit. Qui quidem ab horum versiculorum auctore acerbissime corripitur diciturque iam puer loris et funibus per terga ipsius iactatis ad eum conformatum esse sensum criticum, per quem fieri posset, ut aliquando poetis antiquis contra recentiorum fastidia suppetias ferret. Nam ita verba accipienda esse, neque audiri oportere eos, qui nobis equitem istum finixerunt in eos, qui de Lucilio minus bene sentirent, loris et funibus desaevientem, nemo negaverit, qui singula diligenter expenderit. Incertum adhuc est semperque, opinor, incertum manebit, quisnam homuncio his verbis designetur, cuius nomen fortasse scriptor ipse consulto occultavit. Nam quod Franciscus Ritterus, cuius editio Horatii nunc ipsum venit in manus nostras, suspicatus est, notari Orbilium Pupillum Beneventanum, qui teste **Suetonio De illustr. Gramm. cap. 9.** in Macedonia corniculo, mox equo meruerit et propter ingenii tristitiam et morositatem etiam in discipulos immoderatus debacchatus sit, de quo iam supra

iniecta est mentio, multa sunt quae huic conjectuae mirum quantum officiant. Nam primum quidem quis tandem est qui Orbilium sibi persuadeat continuo equitum doctissimum vocari potuisse, ut qui olim equo meruisset in provincia? Deinde Orbilium constat quidem ut Iudimagistrum calidiorem et acriorem in puerorum terga ac fortasse etiam capita saevius subinde grassatum esse; illud autem non constat, ipsum quoque puerum vapulasse atque simili saevitia a magistro suo Beneventano tractatum esse; id quod Ritterus sine ullius testis auctoritate mero arbitrio suo commentus est. Itaque sane fatendum est, hominem, quem poeta deformat, omnino esse ignotum. Illud tamen longe est verisimillimum et tantum non certum, designari praeter illos equites, quorum notitia aliqua ad nos pervenit, alium quendam equitem antiquorum poetarum imprimisque Lucilii studiosum, qui quum et ipse in emendandis Lucilii poematis operam posuisset, tum in eo negotio tam licenter tamque imperite erat versatus, ut illum ipsum, cui opitulari voluisset, ridicule deturpasseretur existimari deberet, utpote recti verique indicio, in re critica factitanda necessario, plane destitutus. Quamobrem salsa irrisione dicitur puer et loris et funibus udis exhortatus vel exornatus esse, ut aliquando antiquis poetis opem ferre posset. Quibus verbis notatur stupidum et insulsum homuncionis ingenium, cui sensus elegantiae scilicet iam puer per terga incutiendus fuerit. Etenim usus ille erat fortasse pueritiae magistro Orbilio non dissimili, quem Sueton. De illustr. gramm. cap. 9. narrat in pueris instituendis ferula scuticâque uti consuevisse. At enim vero ridicule homo narratur non ferula, id quod lenius fuerat, sed potius loris et funibus udis (funibus Ibericis, Epop. IV.3.), quibus fere mastigiae caedebantur, castigatus esse, quippe qui callum contraxisset acerius inurendum. Quod sponte intelligitur per acerbam superlationem ita dictum esse, ut profecto inanis fuerit quorundam dubitatio, qui, cur tandem puer isto modo plexus esset insolentius, curiosius quae siverunt. Atque hinc sponte apparere arbitramur, ne

doctissimus quidem istud acerba carere ironia, quod per facetam dilogiam dictum est de eo, qui quum sibi videretur esse longe eruditissimus, tum etiam singulari ratione ad exercendum critici et grammatici officium pro ingenii sui dotibus institutus et exornatus erat.

Verum haec quidem de istis, quibus exploratis tandem etiam fieri posse putamus, ut de fragmenti ortu certius statuatur.

Nam primum quidem non iam dubium esse potest, quin versus compositi sint initio fere aetatis litterarum Romanarum aureae, quae vulgo vocatur, quae inde a Sullae morte usque ad Augustum pertinuit. Tum enim Valerium Catonem, tum item Lucium Aelium et Servilium Clodium, equites grammaticos nobilissimos, flornisse exploratum habemus. Quorum tempora et studia ubi consideramus, nescio quomodo videmur iure nostro coniicere origines versiculorum fere in aetatem Ciceronis et Catulli incidisse. Praeterea vero etiam de versuum arguento et proposito nunc certius iudicari poterit. Quippe scripti sunt sine dubio ab aliquo scriptore satirico, qui, sicuti postea Horatius, rudiori illi et incultiori antiquorum poetarum, imprimisque Lucilii, scribendi rationi infestus erat atque inimicus, licet etiam tum non pauci essent qui eorum virtutes unice laudarent atque praedicarent. Exorta enim iam multo ante aetatem Horatii fuisse videtur acrior quaedam pugna et contentio inter eos, qui unice probabant in litteris antiqua, et inter illos, qui recentioris aetatis elegantiam a Graecis acceptam cupide sectabantur. Certe quidem ex Cicerone Brut. cap. 17, 1. cap. 32, 6. cap. 85. sqq. et cap. 89. sqq. compertum habetur magnam tum recentioris eloquentiae cum veteri dicendi consuetudine exortam esse concertationem, ut altera cum altera de principatu contenderit, aliis masculam priscae Latinitatis quamvis rudioris et incultioris vim et gravitatem praedicantibus; aliis unice expetentibus novitium litterarum cultum atque elegantiam; v. Manso Vermischte Aufsätze u. Abhandlungen p. 90. sqq. Ac simile quidam etiam de poesi tum accidisse, nemo facile dubitet qui vel legerit

Horat. Epist. II. 1, 158. sqq. **Graecia capta ferum victorem cepit, et artes Intulit agresti Latio;** sic horridus ille Defluxit numerus **Saturnius**, et grave virus **Munditiae pepulere;** sed in longum tamen aevum **Manse- runt hodieque manent vestigia ruris.** Serus enim **Grae- eis admovit acumina chartis,** Et post **Punica bella quietus quaerere coepit,** Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent; Tentavit quoque rem si digne vertere posset, etc. Conf. etiam Epist. II. 1, v. 18—50, v. 139—176. De satira vero si quaeritur, audias de Lucilio **Ciceron.** De fin. I. 3. Facete is quidem, inquit, sicut alia; sed nec tam docti tum erant, ad quorum iudicium elaborebat, et sunt illius scripta leviora, ut urbanitas summa appareat, doctrina mediocris: cum quo loco non pugnat quod idem **De Orat.** I. 16. **Lucilium vocat et doctum et urbanum,** quum ibi non Cicero ipse, sed Crassus loquatur, et priore loco non negetur doctum **Lucilium fuisse,** sed eum magis urbanitate quam doctrina excelluisse iudicetur. Nec vero nihil huc facit, quod **Horatius Sat.** I. 10, 46. sq. narrat in hoc poesis genere iam ante se eandem viam Varronem Atacinum circiter a. u. 706. sqq. aliosque, (ut **Lucium Albucium et Naevium Nicanorem**), quamvis operae successu parum prospero, ingressos esse. Nempe arguit sane hoc certissime etiam tum de **Lucilii virtute poetica** non unam eandemque regnasse sententiam, ut consultum visum sit, relieto illius scribendi genere, aliquando tentare scriptio[n]em elegantiorem. Atque hinc tandem capere etiam licebit coniecturam de versuum illorum auctore deque consilio, quo sint compositi. Scripti enim sunt sine dubio ab aliquo Catonis aequali, qui pariter atque Horatius satiricae poesis antiquae vitia atque menda moleste tulit ideoque etiam coecos **Lucilii admiratores acrius corripere instituit.** Quod si vere ponitur, protenus etiam in irritum cadit, quod nuper coniecit **Kirchnerus,** versus acceptos referri **M. Furius Bibaculo.**

Eum enim in Lucilii patronos invectum esse ideo plane est incredibile, quia ipse videtur Lucilii caussam defendisse suscepto eius patrocinio atque adeo in illius poematis emendandis versatus esse, de quibus ipsius studiis exposuit Weichertus Poetar. Latin. Rell. p. 360. et 363.

Sed haec quidem de istis sufficient. Videmur enim iam eo pervenisse, ut nihil amplius faciendum restet, quam ut nonnulla dilucidandi versum argumenti caussa subiicienda sint, quibus dubitationes tollantur, si quae adhuc rationi nostrae officiant. Quo tamen munere quam brevissime defungemur, quandoquidem pleraque omnia, quae hoc pertineant, iam in superioribus data opportunitate in medium allata sunt.

Itaque primum quidem quod viri docti Lucilii compellationem, ab initio statim positam illam: *Lucili, quam sis mendosus, teste Catone—pervincam, agrestiorem et rusticorem esse arbitrii sunt, quam quae venustioris alicuius et elegantioris poetae ingenio conveniat, in qua sententia imprimis etiam Fridericus Jacobsius l. c. p. 234. et 253. sqq. fuit; veremur magnopere ne haec sententia ab aliquo errore profecta sit.* Quippe incertus poeta manifesto non tam ipsum *Lucilium* reprehendit, quam potius eos, qui in laudibus illius fuissent nimii, quamquam illum ipsum cum virulenta quadam acerbitate alloquutus est. At nimirum hoc certe non aliter ab eo factum putari debet, quam si quis hodie adversus eos, qui *Göthium* nimio fere prosequuntur honore, disputaturus, magnum illum poetam ipsum alloquatur ac deinde vitia ipsius, si quae sint, exagitare instituat. Quod nemo est quin sentiat, quorsum ista condicione trahendum foret. Itaque scriptor nostra sententia nihil profecto aliud in mente habuit nisi hoc fere: *O vos, qui *Lucilium* summum poetam fuisse censem, quantis ille scateat vitiis, ipso eius defensore teste evincam, quippe qui eum emendare et perpolire apud animum constituerit.* Quam sententiam etsi elocutus est paullo gravius, tamen nihil dixit, quod ab satirae elegan-

tia et venustate adeo alienum videatur, ut artis laude prorsus indignum sit, praesertim quum de uno maxime inertiae et negligentiae vitio in verbis et versibus Lucilii haerente cogitandum esse luculententer evincant proxima: qui male factos emendare parat versus, h. e. inconcinne et horride compositos, quales versus in Lucilio etiam Horatius in satira quarta atque decima libri primi reprehendit et castigavit non leniter. Itaque haec quidem inertiae ac temeritatis criminis utique vacare arbitramur. Accedimus igitur ad alterum, quod critici rectae rationi adversari iudicaverunt. Haeserunt enim illi etiam in eo, quod Cato dicatur tanto lenius emendare parare versus Lucilii, quo sit vir melior, h. e. tanto canticus et moderatus, quanto sit melior. Istud melior enim iis ideo displicuit, quia iam agatur non de animi sed de ingenii virtutibus, quibus unus scilicet in recensendo veteri poeta opus fuerit. Quod tamen nos quidem minime movet, ut de vera rectaque dictionis ratione dubitemus. Nam primum quidem apertum est, Catonis prudentiam et moderationem, quamvis dissimulata fortasse cum irrisione, praedicari. Quo nomine quis quaeso dubitet quin rectissime boni viri laude mactari potuerit? Deinde melior eodem modo quo praestantior aliaque id genus nomina etiam latiore ponuntur vi et potestate, referunturque non solum ad animi virtutem verum etiam ad ingenii indolem, ut nemo dicere dubitaverit melior faber, melior dux, melior pictor, et quae sunt id genus alia. Quidni igitur etiam criticus cautione, moderatione, prudentia, subtilitate denique excellens verissime melior dici potuerit? Nimirum id qui negarunt, ii viderint ne argute magis quam vere ea de re indicaverint. Ceterum falsus est praeter ceteros etiam Heusdius Stud. Critt. in Lucil. p. 122. sqq. et p. 136. sqq. qui melior et subtilior ad ipsum Lucilium referri voluit; quod qua ratione commode fieri queat, nos quidem nullo modo intelligimus. Sed pergitus ad aliam dubitationem de versum elegantia et virtute excitatam. Etenim quod grammaticorum equitum doctissimus ille, qui ridicule vocatur, loris

et funibus exhortatus esse dicitur (sic enim in plurimis mss., aliis exoratus vel exortatus praebentibus); id quum alii multis dubitationibus locum dederit, tum etiam de elegantia et venustate loci movit controversiam. Et illud quidem nemo negaverit, exhortatus utique potuisse passive dici; quandoquidem etiam cohortatus apud Gellium N. A. XV. 13. in verbis Catonis et adhortatus apud Priscian. VIII. p. 791. passive positum reperitur, ut alia similia taceamus, de quibus dudum exposuerunt grammatici. Verumtamen dubia est et controversa dictionis vis et significatio. Nam etsi in verbis: loris et funibus exhortatus, facetum inest oxymoron, quod per se non spernendum sit, tamen id ipsum rei praesenti non satis videtur esse consentaneum. Depingitur enim manifesto pingue critici istius ingenium, ostenditurque, iam puero illi tantam adhaesisse tarditatem tantumque proprium fuisse stuporem, ut etiam gravioribus magistrorum verberibus percutiendus atque commovendus fuerit. Quod si ita est, sponte apparet, neque adhortatus neque exoratus sententiae satis respondere, sed longe aliud quid requiri. Nimirum hic quidem fatendum est, opinor, locum scribarum socordia nonnihil labis contraxisse. Verissime enim Glareanus correxit exornatus, apte comparato loco Terentii Heaut. V. 1, 77. Adeo exornatum dabo, adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit semper mei. Quae coniectura firmatur etiam librorum quorundam scriptura: exortatus. Quippe ita faceta amphibolia exornatus ponitur pro instructus, quasi homo ista lororum et funiculorum disciplina ad futurum critici munus praeparatus et institutus sit, quo obeundo scilicet aliquando depelleret fastidia eorum, qui antiquiorum poetarum duritiem et inertiam moleste ferrent. Prave enim ipse Glareanus consentiente Rutgersio Lectt. Venus. p. 355. interpretatur: „exornavit se armis iuvenis, et malum minatus est vel dedit adeo his, qui secus sentirent de Lucilio.“ Itaque apparet ne haec quidem verba quidquam continere, quod aut a proposito alienum aut invenustum cen-

seri debeat. Supersunt igitur verba postrema: Ut redeam illuc.
In quibus plerique omnes haeserunt adeo, ut ea non ab ipso scriptore sed ab aliquo grammatico addita putaverint, qui prooemium istud voluerit cum satira Horatiana arctius copulare et in unum tamquam corpus coniungere. Quod tamen nos quidem minime putamus esse probabile, praesertim quum ea transitionis formula, re diligentius considerata, ad rem praesentem ne apta quidem videri queat. Nimirum nos si quid iudicare possumus, scriptor his verbis significat, se iam continuo reversurum esse ad id, quod modo indicaverit, adeoque ex illo ipso Valerii Catonis consilio demonstratum, Lucilium utique insignibus mendis laborare. Quod quidem argumentum num deinde revera pertractaverit, sanequam ignoramus. Illud tamen non temere statuerimus, siquidem ita factum sit, argumentum delectum largissimam iocandi, ridendi, vellicandi denique materiam suppeditare potuisse.

Sed hic quidem iuvabit aliquando disputandi finem fecisse, quandoquidem abunde expositum videtur, de quo disputare instituimus. Apparuit enim satis clare, opinor, fragmentum illud poeticum, quod huic disputationi ansam praebuit, non quidem ab Horatio compositum, sed tamen satis antiquum esse ac verisimiliter ea aetate litteris perscriptum, qua apud Romanos primum recentioris poesis elegantia cum vetustioris poesis incondita simplicitate atque ruditate tamquam inito certamine quodam contendere coepit. Quod si ita est, sponte iam intellectum iri putamus, unde illud in Horatium migraverit et qui factum sit, ut in aliis poetae codicibus apponatur, in aliis omitteretur. Etenim habet illud sane cum arguento Satirae Horatianae arctiorem quandam cognationem et necessitudinem, quandoquidem inde clare cognoscitur, iam ante Horatium extitisse, qui adversus cupidos Lucilii admiratores atque laudatores similiter decertarent atque a poeta Venusino factum esset. Itaque praescripsit illud olim grammaticus aliquis tamquam memorabile monumentum historiae litterarum Romanarum, unde etiam superiorum

temporum de his rebus iudicia cognoscerentur et quanta illorum fuisset cum iudicio Horatii consensio, planius intelligeretur. Nec tamen illud in omnes Horatii codices transiit, quandoquidem a criticiis iam mature intellectum est non esse illud Horatii sed potius alius cuiusdam poetae opusculum. Ex quo ipso etiam perspicitur, cur in optimis codicibus, quales sunt Blandiniani, fere desideretur atque etiam a Scholiastis silentio transmissum sit.